Nr. 392.

CURRENDA I.

A. D. 1874.

N. 27/pr.

Laudetur Jesus Christus!

Salutamus Vos in Christo Venerabiles Fratres! ingruente hoc anno prima ad Vos verba facientes, apprecantes Vobis laetiora a Deo tempora, ac illa anno elapso jam superata, ad cujus finem merito exclamare potuimus ac debuimus „Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus.“ Thren. III. 22.

Quis enim Vestrum non retinet memoria vivam imaginem calamitatum et tribulationum oras has dirum in modum affligentium quarum angustiae et timor partim jam cessarunt, partim vero perdurant?

Ceteris praeibat atrox epidemia mortalitasque nulli parcens Europeae regioni, cujus implacabili furore praeter magnum numerum popnli, etiam sat multi confratrum sacerdotum abrepti consumptique fuere. Cnm eadem pari passu gradiebatur et fors eandem progenuit inopia famesque, cujus afflictione et nunc populus noster premitur. Verum his omnibus longe superior est alia contagio, quam spiritualem nuncupare liceat; perversae nimirum doctrinae, Fidei et Ecclesiae catholicae inimicae, quae plurimorum animis fidei et salutis aeternae naufragium intulerant, imo et triste contra hanc sanctam Fidem et Ecclesiam odium excitaverat.

Sufficit meminisse Materialistarum seu Atheorum, qui jam hodie ubique diffusi, omni freno pudoris sive modestiae dejecto, impia sua asserta palam proferunt, et his consonam impietatem morumque perfectam dissolutionem praedicant ac vita exequuntur, quique palam gloriantur; se nullam religionem profiteri, et nulli societatum religiosarum adhaerere.

Accedit nefarium schisma sic dictorum Vetero-catholicorum, quod in nonnullis regnis auctoritate civili et vi sustentatur, Episcopos et rectores ecclesiarum legitimos de sede et munere suo deturbando, atque in eorum locum contra voluntatem respectivorum gregum populi fidelis apostatas intrudendo, cum maximo orbis catholici scandalo, et ipsorum fidelium gregum maximo fidei periculo. Et quid demum dicamus de perversa et Ecclesiae infensissima Massonum secta, quae a multis saeculis primum in acculto serpens, nunc autem palam caput extollit, et sub specie amplioris doctrinae, fucatae erga pauperes beneficentiae ac virtutis, plurimorum animos pervertit secumque rapit in perditionem. De his profecto

docet scriptura „Ideo mittit illis Deus operationem erroris ut credant mendacio“ (II. Thess. II. 11.) Contra has omnes in Ecclesiam incursus et imminentia pericula, nos omnes strenue in acie consistere oportet. Ideoque hortamur Vos Venerabiles Fratres verbis Apostoli gentium „Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sine per epistolam nostram“ (II. Thess. II. 15.) State et perseverate in avita fide, et etiam populum fidelem contra omnia ejusmodi imminentia pericula tueamini, et ut verbis Summi Pontificis Pii IX. (Encycl. de 21. Nov. 1873.) utamur „Omnem adhibete operam muniendis „adversus harum sectarum insidias et contagionem, fidelibus curae vestrae commissis, illisque „qui nomen infauste dederint iisdem sectis, a perditione retrahendis. Eorum vero praesertim ostendite et oppugnate errorem, qui dolum sive passi sive molientes non verentur „adhuc asserere socialem tantum utilitatem ac progressum mutuaeque beneficentiae exercitium spectari a tenebricosis hisce conventiculis.“

Quia autem novissimis temporibus in nostri Imperii Curiis de legislatioue tractatur, quae relationem externam Ecclesiae ad Civitatem determinet, seu ut passim dicitur: ut lacunae sublato concordato huic relationi illatae tollantur, repleanturque; hinc indesinenter orate, ne Ecclesia exinde detrimentum capiat, omne autem periculum pacis perturbationis contentionumque amoveatur. Orate „ut liberemur ab importunis et malis hominibus: non „enim omnium est fides“ II. Thess. III. 2.

Hanc igitur sunt, quae in munere et officiis vestris adimplendis, praeprimis a vobis optamus. „Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quae praecipimus et facitis et „facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et potentia Christi.„ (II. „Thess. III. 4. 5.)

Tarnoviae die 10. Januarii 1874.

N. 1/pr.

Litterae Apostolicae Papae Pii IX.

Ex causa reinventionis, et judicii super identitate corporum S. Ambrosii Ep. et E. Doctoris, ac martyrum Gervasii et Protasii, ab Archiepiscopo Mediolanensi prolati, et a Summo Pontifice confirmati, idem Summus Pontifex optat, ut Christifidelis eventum hunc ampliori devotione et gratia celebrent, atque S. Ambrosius atque praelandati Sancti Martyres etiam specialiter honorentur; quem in finem concedit indulgentias plenarias juxta tenorem, et sub conditionibus §. 9. Litterarum Apostolicarum infra positorum expressis.

Communicamus Vobiscum Venerabiles Fratres Litteras has, et praesentibus ordinamus, ut omnes Christifideles, qui 25. Martii 1874. seu die Festo Annunciationis B. V. M. confessi et Sacro Christi Corpore refecti, pro instantibus Ecclesiae necessitatibus, ejusque exaltatione, dictorum Sanctorum auxiliis imploratis, pias ad Deum preces fuderint, plena-

riam indulgentiam obtinere valeant, quae per modum suffragii etiam animabus in purgatorio detentis applicari poterunt.

Desuper autem populus fidelis ex ambone tempore debito informandus et instruendus est. — Tenor Litterarum harum Apostolicarum est sequens.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI NOSTRI DOMINI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS

JUDICIUM SUPER IDENTITATE CORPORUM S. AMBROSII EPISCOPI ET ECCLESIAE DOCTORIS AC MARTYRUM GERVASII ET PROTASII AB ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI PROLATUM CONFIRMATUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. 1. Qui attingit a fine usque ad finem fortiter, ac disponit omnia suaviter Deus Omnipotens Sacrosanctae Ecclesiae Immaculatae Sponsae Unigeniti Filii sanguine acquisitae, et in Apostolicae Confessionis petra solidatae, ita jugiter contra invalescentem saeculi nequitiam ac tenebrarum potestates in Sanctis suis firmamentum constituit ac munimen, ut qui jam viventes in carne eam sua passione illustraverant, doctrina exemplisque excoluerant, in coelesti deinde patria recepti adhuc suis gloriosissimis decorarent trophaeis ac perpetuo tuerentur patrocinio. Pientissimum hoc divinae bonitatis consilium tum maxime innotuit, cum obortis in Christianum populum universamque Catholicam Ecclesiam vehementissimis tempestatibus, plura Sanctorum Corpora, quae diu latuerant, in lucem denuo prodiere, ut eo adspectu ad sua sectanda vestigia opemque implorandam dejectos erigerent animos, ac proxime secuturum de humani generis hoste praenuntiarent triumphum. Id praeteritis evenisse temporibus, acta inventionis Corporum plurimorum Sanctorum in Christo quiescientium evidenter ostendunt; idipsum aetate hac nostra, qua abundante delicto, refriguit charitas multorum, repertis sacrosanctis Exuviis Ambrosii Mediolanensis Episcopi et Ecclesiae Doctoris, neque non Beatorum Martyrum Gervasii et Protasii, futurum sane confidimus.

§. 2. Et hi quidem invicti Fidei Pugiles sub Nerone in prima Etnicorum adversus Christianos persecutione, fuso glorioso pro Christo sanguine, martyrii palmam adepti sunt; quorum deinde Corpora cum diu in Basilica SS. Felicis ac Naboris Mediolani delituissent,

a Sancto Ambrosio, Dei admonitu, reperta, in Basilicam ab Eo extructam translata fuere, ibique honorifice sepulta. Cum autem anno Christi CCCLXXXXVII ipse Ambrosius mortale hoc exilium cum perpetua aeternitate commutasset, ad sanctorum eorumdem Corpora in hypogaeo praefatae Basilicae, prouti de se vivens disposuerat, conditus est. Hoc vero sepulchrum Deus redidit gloriosum, tum frequenti populorum concursu, tum plurimis Sanctorum intercessione patratis miraculis. Ac licet non semel Urbs Mediolanensis barbarorum incursionibus ac direptionibus obnoxia fuerit, attamen sacra eadem Pignora inviolata semper ipso in loco, ubi primum in ea Basilica fuerant condita permansere. Quibus omnibus permotus Angilbertus Mediolanensis Ecclesiae Antistes anno reparatae salutis DCCCXXXV Ambrosii ac Sanctorum Fratrum corpora e primo Conditorio sublata in insignem porphyreticam arcam transtulit, quam desuper pretiosissimum ac miri operis altare extruxit. Ex tunc in Ambrosiana quidem Basilica, ceu explorato dormitionis loco, ea Sacra Pignora, totius Orbis veneratione coli nunquam cessarunt, sed ea palam intueri, illoque adspectu veluti ad certandum bonum certamen fidei roborari hucusque nemini datum fuerat.

§. 3. Providens tamen Deus, qui suis novit medicinam aptare temporibus, auspicatissimum ejusmodi eventum aetati nostrae reservaverat, qua Ambrosii praeclara monita, ac Martyrum exempla ad informandos fidelium animos spiritu intelligentiae ac fortitudinis, sunt quam maxime necessaria. Cum itaque anno MDCCCLXIV ad Ambrosianam Basilicam a fundamentis instaurandam manus fuisset apposita, subfosso pavimento, disiectoque vetusto lateritio, quod Confessionis hypogaeum circumambiebat, primum duo sepulcra detecta sunt, mox porphyretica arca quae illis in transversum insistebat. Hisce autem reseratis sepulchris, aliqua Sacrorum Corporum lypsana reperta sunt, una cum numismatibus, epocham praeseferentibus illorum depositionis, saeculo quarto, atque eorundem recognitionis ineunte saeculo VI factae a Sancto Laurentio Archiepiscopo Mediolanenensi. Vix hac de re, non sine animi laetitia, nuncium accepimus, pro ea quae Nobis incumbit omnium Ecclesiarum sollicitudine, per speciales Sacrae Rituum Congregationis Litteras datas Romae die XVIII. mensis Februarii supraenunciati anni ad bo. me. dilectum Fratrem Episcopum Famaugustanum, qui licet Mediolanensis Sedes suo tunc Archiepiscopo non careret, Vicarii Capitularis et Ordinarii partibus adhuc fungebatur, significavimus Voluntatem Nostram, ut acta singula in recognitione peragenda Sacrorum Corporum conformarentur instructioni de Mandato Nostra a dilecto Filio Petro Minetti S. Fidei Promotore opportune digestae: ac praeterea ut in repositione et collocatione earumdem Sacrarum Exuviarum declararet illas sub immediata protectione S. Sedis ita custodiendas esse ut urnam aperire et Reliquias distribuere nullatenus liceat, nisi impetrata a Nobis vel Nostris Successoribus opportuna venia.

§. 4. Verum cum deinceps ad annum usque MDCCCLXXI nihil praeterea de SS. Corporibus actum fuisset, die tandem VIII Augusti, coram dilecto Fratre Nostro Aloysio Archiepiscopo Mediolanensi, ejusque Curia, ac frequente ex omnibus civium ordinibus concursu, arca illa porphyretica demum detecta fuit, ibique tria Sacra Corpora reperta aquis penitus demersa. Inde vero die XI ejusdem mensis et anni educta, a peritis anathomicis in compagem suam restituta fuere, ac singula singulis corporibus ossium fragmenta coaptata.

Nedum autem periti viri ossa ex arca educta cum reliquiis eorumdem e sepulchris eruta comparantes exinde certissimum identitatis momentum eruere, verum etiam, ex peculiaribus notis, quas veneranda majorum traditio Ambrosio ac Sanctis Martyribus tribuerat, ejus corpus ab aliis tuto secernere valuere. Tum denique, cum acta omnia exquisita solertia expleta essent, et jam nihil addi posse censeretur ad certitudinem assequendam quae in hisce rebus postulatur, accedente eruditissimorum virorum suffragio, praedictus Frater Noster Mediolanensis Archiepiscopus solemniter edixit die XXIII Aprilis vertentis anni „*Tria corpora, Nobis adstantibus, reperta in arca prophyretica die VIII Augusti MDCCCLXXI sub Altari Maximo Basilicae Ambrosianae hujus Urbis, esse vere et proprie SS. Ambrosii, Protasii et Gervasii; scilicet illud minoris altitudinis S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis Ecclesiae Doctoris, alia vero procerae staturae et florentis aetatis SS. Martyrum Gervasii et Protasii ab ipso Ambrosio in sepulchro condita.*“

§. 5. Quibus omnibus uti supra rite absolutis, idem Frater Noster Archiepiscopus Mediolanensis acta Judicialis Inquisitionis ab anno MDCCCLXIV iterato ac tertio institutae ad Nos transmittenda curavit; hisce Supplices Litteras adjecit, praeclarissimis Ambrosii sententiis intextas de Primatu Cathedrae Petri, ejusque inerrantiae praerogativa, quibus humillime oxorabat, ut sententiae ab se latae robur Apostolicae Nostrae Auctoritatis adiicere dignaremur. Nos itaque ejusmodi preces benigne excipientes, quamvis de veritate editae Sententiae haud ambigi posse censeremus, nihilominus, ut obstruatur os loquentium iniqua, qui Catholicam Ecclesiam, non solum propter cultum Sacrarum Exuviarum, quae olim viva Christi membra fuere, ac templa S. Spiritus, ab eodem iterum ad vitam suscitanda et glorificanda, verum etiam propter falsas, ceu blaterant, Sanctorum Reliquias fidelium venerationi propositas, impietatis et superstitionis insimulare non verentur, eam diligentiam in casu adhibendam esse voluimus, qua in rebus tanti momenti semper Apostolica Sedes procedere consuevit. Quare nonnullorum Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, et quorumdam ejusdem S. Congregationis Praesulum Officialium peculari Coetui a Nobis delecto, totius negocii examen commisimus.

§. 6. Quae quidem peculiaris Congregatio mature perpendens jugem et constantem traditionem authenticis uberrimisque documentis consignatam, Imperatorum ac Regum diplomata, acta Episcopalium Visitationum, vetustissima Calendaria ac Martyrologia, numismata in sepulchris reperta, ipsam denique urnae ac circumstantis lateritii operis structuram sane intellexit nullum cieri posse dubium quoad Sacrorum Corporum identitatem. Probationi cumulum imposuit accurata ab anathomiae peritis ossium aliorumque in arca et sepulchris repertorum instituta analysis. Cum itaque ex hisce omnibus, praesertim simul sumptis, peculiaris eadem Congregatio eam exurgere probationem censuisset, qua amplior in hisce negociis desiderari vix posset, die XXIV Julii vertentis anni ad Nostras Vaticanas Aedes coadunata, omnibus ad Sanctuarii lancem libratis atque perpensis, ita rescripsit „*Sententiam Archiepiscopi Mediolanensis esse confirmandam si Ssmmo placuerit*; *et Corpus S. Ambrosii, nec non Corpora SS. Martyrum Protasii et Gervasii, quibus hactenus S. Doctoris exuviae, ex ipsa ejus voluntate, conjunctae fuerunt, unita semper in futurum mane-*

ant, sub immediata S. Sedis protectione, ita ut nemo audeat adsportale aut distribuere quamlibet eorum particulam, sub poena excommunicationis latae Sententiae Summo Pontifici reservatae; supplicandum autem eidem SSmmo censuit, ut de hoc confirmationis judicio expediantur Litterae Apostolicae sub plumbo."

§. 7. Quae cum accurate per dilectum Filium Dominicum Bartolini Secretarium ejusdem S. Congregationis Nobis relata fuissent, ingentes benignissimae divinae bonitati egimus gratias, quae Nos in tantis angustiis ac periculis constitutos solari ac fovere dignata sit inventione Corporum Beatorum Martyrum Gervasii ac Protasii, et praesertim tanti Ecclesiae Doctoris, cujus illa aurea ac plena spei sententia est: *Non turbatur illa navis in qua prudentia navigat, abest perfidia, Fides spirat. Quemadmodum enim turbari poterit cui praeest is in quo Ecclesiae firmamentum est?* Propterea libentissime praefatae peculiaris Congregationis sententiam in omnibus probavimus ac ratam habuimus, ceu patet ex Decreto eadem die edito.

§. 8. Volentes itaque ea quae per idem Decretum jam constituta sunt solemniori Apostolicae Auctoritatis documento novoque Nostrae confirmationis patrocinio communire, ut devotio erga S. Ambrosium Doctorem et fortissimos Christi Martyres in dies inflammetur, Pradecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes ac praesertim fel. rec. Benedicti XIII, qui sententiam super indentitate Corporis S. Augustini Episcopi Hipponensis et Ecclesiae Doctoris, quem ipse Ambrosius Christo peperit, latam a Papiensi Episcopo per Apostolicas Litteras datas sub plumbo Decimo Kalendas Octobris anni MDCCXXVIII solemniter approbavit; Nos quoque judicium Archiepiscopi Mediolanensis quoad identitatem Sacrorum Corporum Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris, ac Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica Auctoritate undequaque approbamus et confirmamus et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse et fore decernimus. Praeterea mandatus, ut sacra haec Corpora, unita semper maneant, ceu hactenus fuerunt, eaque sub immediata Sedis Apostolicae protectione recipimus; adeo ut absque ejusdem venia nemini liceat, postquam peracta fuerit solemnis illorum repositio, ea denuo reserare, vel quamlibet sacratissimi ejus depositi partem unquam auferre, adsportare, aut distrahere: sub poena excommunicationis latae sententiae, cujus absolutionem Nobis ac Nostris Successoribus omnino reservamus.

§. 9. Ut autem auspicatissimum ejusmodi eventum ampliori devotione et gratia Christifideles celebrent, atque eo validiore apud Deum patrocinio pro Ecclesia, pro universa Christiana Republica S. Ambrosius atque inclyti Martyres intercessores existant, quo ferventiore obsequio eos contigerit honorari; omnibus et singulis Christifidelibus, qui vere poenitentes, die eorumdem Sacrorum Corporum solemnis repositionis, vel alia per locorum Ordinarios indicenda, confessi et Sacro Christi Corpore refecti in Metropolitana sive Ambrosiana Mediolanensi Basilica, vel ubilibet locorum in templis Ambrosii nomine Deo dicatis, rel iis non existentibus in alia quacumque ecclesia ordinarii arbitrio substituende pro instantibus Ecclesiae necessitatibus ejusque exaltatione, Sanctorum Ambrosii ac Martyrum Gervasii ac Protasii suppetiis imploratis, pias apud Deum preces effuderint, Plenariam om-

nium pecatorum indulgentiam ac remissionem quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possint benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

§. 10. Quocirca committimus et mandamus Universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, coeterisque Ecclesiarum Praelatis, ut praesentes Litteras in suis quilibet Provinciis, Civitatibus et locis solemniter pubblicari curent, ea meliori ratione quam expedire censuerint.

Ipsas quoque Litteras et quaecumque in eis contenta nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu Intentionis Nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cujuscumque gradus, ordinis, praeminentiae et dignitatis censeri volumus; mandantes ut earumdem praesentium Transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, confirmationis, Decreti, Mandati, receptionis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo tertio — VII Idus Decembris. —

Pontificatus Nostri Anno Vicesimo octavo.

A. Card. VANNICELLI Pro-Datarius F. Card. ASQUINIUS VISA

De Curia J. De Aquila e Vicecomitibus

Loco † Plumbi I. Cugnonius

Reg. in Secretaria Brevium.

N. 581.

Ogłoszenie dzieła „Rozmowy o polskiej Koronie."

Wyszło w Krakowie dzieło pod nazwą „Rozmowy o polskiej Koronie" Helleniusza w dwóch wielkich tomach 723 i 581 str. — a wydawnictwo dzieł katolickich Dra Władysława Miłkowskiego w Krakowie (Rynek główny Nr. 30.) podjęło się sprzedaży tego dzieła a którego dochód wyłącznie jest przeznaczony na Swiętopietrze. Polecamy Wielebnemu duchowieństwu rozpowszechnienie tego dzieła, już to dla znakomitej treści, już dla osiągnienia zamierzonego celu.

Cena tego dzieła bez przesyłki wynosi 10 złr. a. w. Życzący sobie nabyć to dzieło,

zechcą udać się do wydawnictwa dzieł katolickich Dra Władysława Miłkowskiego w Krakowie.

Z Konzystorza biskupiego Tarnowskiego 15. Stycznia 1874.

N. 106.

Interpellati, Clero nostro sequentia notificamus:

A. R. D. Aemilianus Schindler, curatus localis in Konskau, in Silesia, plurium annorum labore. Chorale condidit, cui titulus: „**Chorał, czyli zbiór melodyi do kancyonału katolickiego ks. A. Janusza, używanego na Szląsku i w Galicyi, ułożony na 4 głosy do grania na organach i śpiewania. Lipsk 1873. F. A. Brockhaus.**“

Cum cantionale hoc, cujus jam 5. editio lucem aspiciet, a viris rei hujus peritissimis lustratum et omni laude ac commendatione dignum agnitum fuerit: ad promovendum cantum ecclesiasticum in Dioecesi nostra, et ad consequendam ejusdem uniformitatem V. Clero nostro, et per Eum organariis, Cantionale hoc optime commendatum habere volumus.

Pretium unius exemplaris est 5 fl. v. a. Choralia haec emipossunt Teschinii (Cieszyn) in Silesia austriaca apud librarium Malik, et in commissione apud A. R. D. Josephum Rusin, parochum et Notarium decanalem in Lipowa, post. Żywiec.

Tarnoviae 15. Januarii 1874.

N. 186.

Ad enixas respectivorum preces sua Sanctitas Pius IX. P. M. membris III. ordinis S. Francisci novam sodalitem indulsit sub titulo purissimi Cordis Jesu Christi, ad efflagitandum a Dei miseratione Ecclesiae catholicae calamitatum finem et desideratam pacem.

Patres Ordinis S. Francisci Reformati quotannis in hunc finem in festo Epiphaniae solemnem devotionem celebrant in honorem dulcissimi Cordis Jesu Christi cum indulgentiis plenariis concessis omnibus membris III. ordinis S. Francisci, qui devotioni hinc debite interfuerint, consuetas indulgentiarum lucrandarum conditiones ad impleverint, et ad intentionem Suae Sanctitatis devote oraverint.

Haec Clero nostro eum in finem notificamus, ut notitiam de hac devotione habeat, eamque nostro cum scitu et concensu celebrari sinat.

Tarnoviae 15. Januarii 1874.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 20. Januarii 1874.

JOSEPHUS ALOJSIUS,

Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae 1874. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.